NARRATIO

DE

CONSPIRATIONE,

A

COMITE GOVRIAE

CONTRA

IACOBVM EIVS NOMINIS SEXTVM, SERENISSIMVM SCOTORVM REGEM, PERTHI, DIE

Martis, qui quintus erat Augusti, anno MDC. intentata.

HAIDELBERGAE.

M. D. C. I.

AD IACOBVM STEVARTVM,

EIVS NOMINIS SEXTVM, SERENISSImum Scotorum Regem, Carmen Exhortatorium, ex nominis Anagrammate VT ORSVS, STA: IESVS EXCVBAT, desumptum.

SAEpe metu spinis compuncta minacibus ante,
Aegra manus fragiles horret adire rosas:
At tua te invitat, stimulis propependula demptis,
Expertum & toties pergere porro iubet:
Quot clandestinis, quoties tibi Sexte minati
Consiliis mortem, quid potuere vides.
Surge igitur, regnoq; tuo, rebusq; tuorum
Consule, securas & tibi sterne vias.
Vt tibi praemittas, nil urgent pectora recti
Conscia, Threiciis corpora puncta notis:
Nil opis externae, timidi nil indigus ensis,
Persida quò metuas Sexte pericla necis:
Scilicet insidias deflectat cura bilingues
Pervigil, excubias quae tibi praestet, adest:
Quae te in Regem unxit, sacro quae nomina fonte
Indidit, augustum queis tibi monstret iter.
Eia VT ES ORSVS, STA: *tibi vindex semper* IESVS
EXCVBAT, *angelicis poneque, & ante, choris.*
Tolle moras dubias, concordi parcus ab armis
Pace liga, & populos relligione tuos.
Qui tibi terrrificum subjecit Sexte leonem.
Praesenti & praesens morte, reduxit ope:
Is quoque subjiciet violentos porro leones,
Et dabit ut discant quis tua fraena regat.
Thesauri posthac specie qui ludet inani,
Ni melius numeret, non meliora feret.

G. D.

NARRATIO DE CON-SPIRATIONE, A COMITE GOVRIÆ, CONTRA IACOBVM, EIVS NOMINIS SEXtum, Sereniſſimum Scotorum Regem, Perthi, die Martis, qui quintus erat Auguſti, anno 1600. intentata.

DVM Falclandiæ Rex ageret, ſeque quotidie cervorum venatione exerceret (quo exercitii genere eo anni tempore, ſe utplurimũ oblectare ſolet) quinto Auguſti, qui in Martis diem incidebat, inter ſextam & ſeptimã matutinam, cœli ſerenitate invitatus, ut ſtabula prætergreſſus, equũ erat aſcenſurus (venatoribus interim eius adventum in campis expectantibus, & aulicis ſe ad equos accingentibus) Alexander Ruthuenus, comitis Gouriæ frater germanus, urbem ingreſſus, deque Regis diſceſſu certior factus; cũ magna celeritate acceſſit: ubi ſalutatione ſatis humili, capite ad Regis genua demiſſo (qui ſalutandi modus illi antea prorſus inſolens) peracta, apud Regem à comitatu nonnihil ſeductum, vultu dejecto, & oculis perpetuò in terram fixis, tale alloquium inſtituit. Accidit, inquit, ut veſpera proxime elapſa, non procul Pertho, ubi in præſentia cum fratre commoror, animi gratia prodeambulanti, plebeius quidam obvius fieret: cuius ut caput pallio obvolutum animadverti, accedens propius, de nomine, quidve negotii ſolus, in loco ſolitario, & avio, factitaret, cœpi inquirere. hic

hominem tanta conſternatio invaſit, ut nec lingua, nec alia corporis membra ſuis adeſſent officiis: hic geſtus augebat ſuſpicionem: itaque dum ſingula accuratius obſervo, aliquid ſubeſſe ratus, ſinum aliquanto turgidiorem video, inde rejecto pallio ingentem & capacem urnam auro ad orificium referream ſub axilla deprehendo: ut vidi, hominem ſic onuſtum in urbem mecum clanculum reduxi, ibique vinctum, vaſe una relicto, nemine alio facti conſcio, conclavi, quò niſi per multas fores, jam à me obſeratas, nulli patet aditus, diligenter incluſi, & hodie cum diluculo, ante quartam matutinam, Pertho iter ingreſſus, quanta potui celeritate, ſicut ex officio tenebat, huc ad Celſitudinem tuam me contuli: ideo maiorem in modum Maieſtatem tuam oro, ut quamprimũ, omni adhibita tum diligentia, tum taciturnitate, eò proficiſci Celſitudo tua dignetur, & priuſquam res fiat palam, aliquid de ea ſtatuatur: hic enim proteſtor, ſancteque affirmo, me rem iſtam nemini mortalium, imò ne fratri quidem hactenus revelaſſe. Ad hæc Rex, cùm gratias pro benevolentiâ egiſſet: nullâ, inquit, ratione æquum, aut honeſtum cenſeo, ut hujuſmodi negotio me immiſceam: quandò nullius liberi, ac fidelis ſubditi theſaurus, niſi fortè ſub terra repertus, quod in iſto ſecus habet, ad Regem poſſit, lege devenire. Cæterum, inquit, Alexander, ille mihi eſt faſſus, eo ſe fine egreſſum, ut in terram defoderet: ut plura exquirerem, nec temporis, nec loci ratio ſinebat. Rex non parum, inquit, factum ipſum à facti propoſito diſtat; nec perinde eſt, animum defodiendi habuiſſe, & defoſſum inveniſſe. Nimium, inquit Alexander, in re tanti momenti, tamque utili Celſitudo tua ſcrupulos movet ejuſmodi: ſi enim res differatur, & fratri meo, aliisve regni proceribus innoteſcat, tali occaſioni minimè deerunt, unde non parũ negotii, in eo poſtea repetendo poſſit ſuboriri. Ex prædictis Rex colligebat, aurum eſſe peregrinum, & à Ieſuitis ad novos motus in regno excitandos illatum;

latum : ſiquidem id ipſum ab illis antè ſæpius factitatum. Hinc de numiſmate, & viri illius habitu interrogat. Ille numiſma, quantum tunc quidem poterat obſervare, peregrinũ ſibi videri: virum, etſi lingua & habitu indigena videretur, nunquam tamen à ſe antea, quantum meminiſſe poterat, cõſpectum aiebat. Hinc Regi maior ſuſpicio creſcebat, aurum illud aliunde à ſeditioſis illis, ut eo in factionum capita diſtributo, pacem publicam facilius abrumperent, importatum: virum autem illum, eſſe ſacerdotem quempiam Scotum, è ſeminario quopiam Ieſuitico in eum finem emiſſum, & ad maiorem rei ſecuritatem ita perſonatum. Proinde è ſuis quempiam authoritate præditum Alexandro comitem dare conſtituit, qui nomine Regis, magiſtratui urbis Perthi, hominem illum unà cum theſauro, in ſuam cuſtodiam recipiendum, examinandum, & ad ulteriorem Regis voluntatem detinendum, mandaret. Quibus Alexander vehementer cõmotus, proteſtari denuò incipit, ſi vel Comes eius frater, vel urbis reliqu⁹ magiſtrat⁹ id reſciſceret, fore, ut mutilas illius theſauri rationes olim Regi ſint redditurі: ſanctequ affirmans ex amore ſingulari, & intimo, quo Regiam Maieſtatem proſequebatur, affectu proficiſci, ut ipſius Celſitudinẽ, & ſibi, & fratri in iſto negotio prætulerit: pro quibus officiis hoc ſaltem petere ſe, ne eo proficiſci dedignaretur, quò primus eſſet theſauri inſpector; quibus peractis ſe Regiæ Maieſtatis arbitrio laborum æſtimationem permiſſurum. Rex & narrationis incredibilitate, & narrantis inſolita ſtupiditate non parum perculſus, comitatu interim jam in equis Regis cum nobili illo moram, moræque cauſam (luſu jam reperto & venatoribus unum Regem in campis expectantibus) admirante, colloquium tandem interrumpere eſt coactus. His igitur paucis in abitu prolatis, non poſſe ſe tum, diutius commorari, verum ea de re deliberaturum, & venatione finita certò reſponſurum. Simul cum dicto, jam eques, ad comita-

tum se properè contulit. Alexander ægre ferens, quòd apud Regem pro voto non obtinuisset, ut recta Perthum contéderet, hæc adjecit, non futurum ut quotidie venationis delectus talis daretur, qualem ipse jam obtulerat; insuper vereri se, ne protracta hæc deliberandi mora homini jam vincto, aut vociferandi, aut talem strepitum concitandi occasioné præbeat, unde res tota detegatur, & thesaurus periculo exponatur: adhæc fratrem de se inquisiturum, quando eo insalutato, nec de itinere admonito, mane discesserit: quibus omnibus diligentiâ Regis, facili negotio occurri posse: præsertim cum ante concionem finitam, cui jam frater cum Magistratu, & reliquâ civitate interesset, res tota expediri possit. Verùm Rex præterea nihil respondens, in equum insiliens, ad suos se convertit Rege digresso, Alexander ibidem subsistens, è duobus servis, quos in hunc finem frater adjunxerat, ut per illos de rerum eventu certior fieret, alterum Andream Hendersonum nomine, Comitis cubicularium, amandat, multis iuculcans, ut si fratris honorem periclitari nollet, nec sibi, nec equo parceret, quin quanta possit celeritate ad fratrem profectus, admoneret, sperare se, Regi persuasum iri, ut eò, verùm non nisi post tres horas, quod venationi jam esset intentus, perveniat: hæc addens, Roga fratrem, ut prandium nobis paret. Interim Rex collem, qui saltui imminebat, in quo canes venabantur, conscenderat, canibus magnâ cum alacritate opus aggredientibus, & venatoribus non minori cum voluptate insequentibus, solus Rex, qui aliâs hoc exercitio imprimis capi solebat, cogitabundus, & superioris narrationis novitate quasi extra se raptus, re cum nullo adhuc communicatâ, Iohannem Novifabrum Chirurgum, forte fortuna adequitantem remittit, qui Alexandrum advocaret. Ille intereà servum ad fratrem ablegarat, cum Rex solum advenisse putaret, & comitem ullum habuisse ne suspicari quidem poterat; adducto dicebat Rex, se, jam re perpensâ,

pensâ, extremâ narrationis permotum, venatione peracta Perthum rectâ cogitare: quod & præstitit, nam suos aliquot stadiis jam progressos, solis Iohanne Hamiltono Domino à Grange uno ex Archippocomis, & Alexandro comitantibus, est secutus. venationem autem eo die habuerunt talem, qualem se nunquàm antea expertos, & Rex & reliqui ingenuè sunt professi: à septima enim matutina ultra undecimã est protracta: quo tẽpore Alexander Regẽ semper pone secutus, ad minimam in procinctu remoram continuò Regi in aurem suggeberat, ut quamprimum istis fine imposito Perthum accelerarет: tandem cervo interfecto, cervas insequi, contra consuetudinem suam, destitit: imo de equo, continuo & longo cursu jam defatigato non descendit, nec gladio se, totus in cogitationibus illis, accinxit. quin & Alexander serio rogabat, ne equum recentem (quamvis Regis stabula ne uno quidem stadio inde abessent) expectaret, cujus importunitati Rex obsequutus, eidem calcaribus additis tanta festinatione in itinere perrexit, ut equus recens integrum miliare Britannicum coactus sit pleno cursu sequi, antequam Regem assequeretur, nec Lenoxiæ Ducem, Marriæ Comitem, vel alios è comitatu nobiles, sese ad viam accingentes expectarit, tantum discedens, se Perthum Gauriæ Comitem ibi conventurum properare, anteque vesperam, reversurum: quibus auditis maxima pars aulæ, quam poterat expeditissime, Falclandiam, equos mutãdi gratiâ, se confert: qui, licet, nulla interposita mora, in viam se rursus dederant Regem tamem prius non sunt assecuti, quam ad quartum Pertho lapidem est perventum: alii equis prioribus, etsi longo jam cursu lassis & defatigatis, Regem è vestigio sunt secuti: quorum quidam in medio cursu, equos pabulo reficere sunt coacti. Tanta verò in servis Regis, alioqui injussis, festinatio ex suspicione quadam orta est: nam paulo ante Dominus ab Oliphant facinus quoddã in Angusia perpetrarat,

ad

ad quem apprehendendum, motusq; ab eo excitatos ſedandos, Regem proficiſci ſunt arbitrati. Alexander ut novos equos Lenoxiæ Duci, Marriæ Comiti, & aliis nonnullis aulicis adduci videt, obnixe rogat, ut toti comitatui Rex publicè denunciet; ne, quando eadem veſpera eſſet rediturus, eũ ulterius comitentur, inprimis verò Lenoxiæ Ducẽ & Marriæ Comitem, quo minus ſequantur inhiberet, ſibique tres tantum, quatuorve ex infimo ſatellitio adjungeret: fieri enim non poſſe aſſerebat, quin ſi ex nobilitate aliqui adſint, totum negotium male ſit ſucceſſurum. hinc Rex non parum commotus; Lenoxiç, inquit, Duci, vel Marriæ Comiti, in maioris momenti negotio ſe nolle diffidere, nec videre ſe, quid impedimenti quiſquam, nobilis is ſit, an ignobilis, unus an plures, poſſint adferre. Verum ita alte poſtrema illa verba Regis animo inſederant, ut ex variis variæ ſuſpiciones ſub inde orirentur: juvenẽ tamen à multis annis ſibi jam probe cognitum, quique non multò ante in nobilium cameræ numerum recipi petierat, quicquam mali machinari, ne vel mi nimum ſuſpicari poterat: ideò nec ulterius Regis cogitationes ſeſe extendebant, quam juvenem alioqui ingenuum & magnanimum, duriuſcule à fratre tractatum in mentis alienationem incidiſſe, quod non minus ex vultu commoto, inſolenti adſpectu, & continua, durante venatione, meditatione ſolitaria; quam ex inauditis & fide maioribus narrationibus colligebat: quare, re tota cum Lenoxiæ duce communicata, ſerio rogabat, an juvenis illius (utpote affinis, cuius ſororem in uxorem duxerat) ingenium & mores illi eſſent perſpecti, & an unquam delirio, vel animi perturbatione extraordinario corripi ſolitum advertiſſet: ſibi enim vix eum ſana mente videri: interim ſedulo Ducem monebat, ne omitteret, quin eò ubi perventum eſſet, ubi homo ille cũ theſauro cuſtodiri dicebatur, recta ſequeretur: iſta Duci vehementer admiranti, prorſus abſona & incredibilia viſa ſunt: interin.

afferebat,nihil unquam à ſe in juvene illo obſervatum, quod vel leviſſimum mentis alienatæ indicium præ ſe ferret. Alexander privatum illud cum Duce colloquium obſervans, & rem ex circumſtantiis metiens,regem accedit, etiam atque etiam rogans,ne cuiuſquam fidei negotium iſtud concrederet,nec ulli,quò eſſet ipſum ducturus, ſequendi poteſtatem prius concederet, quam Rex ſolus hominem, theſaurumq; eſſet conſpicatus: cui Rex ſubridens,ſe non bene in pecunia numeranda verſatum, ideoque quempiam adeſſe opotere, qui hic ſaltem partes illas ſubeat, reſpondit; excepit ille, nulli ſe præterquam ſoli Regi primò ad theſaurum illum aditũ daturum, verum illo à Rege ſolo ſemel conſpecto, poſtea quoſcunque poſſe advocari: hic ſermo Regi durior viſus, ſuſpicioni priori novam addidit: ideo inſidias ſibi ſtrui manifeſtò concludebat: verum tot, tantas, tamque varias ſuſpiciones cogitabundus animo voluebat, ut ſingulæ ſingulas velut æſtu reciproco obruerent,adeoque nihil certi ſtatuere potuerit: quare inter ſpem metumque dubius progreditur, rediturus fortaſſis, niſi quod nullius ſceleris ſibi conſcius, nec certo fundamento innixus, à ſententia tam ſubitò diſcedere, turpe videbatur. quamvis vero Alexander equo plane laſſo, & qui reliquos curſu vix poterat æquare, inſideret, Regem tamen ſubinde monebat,ut equo calcaria ſubderet. poſtquam duobus miliaribus Falclandia eſſent progreſſi, in via ſubſtitit,& alterum ſervum Andream Ruthuenum, qui de Regis adventu fratrem admoneret, eadem, qua ad priorem, uſus exhortatione, clanculum præmittit: eoque præmiſſo,cum mille paſſus ab urbe diſtarent, præcedere ſe velle dicebat, ut fratrem de Regis adventu præmoneret: ad fratrem ut ventum eſt, in prandio, quaſi talis negotii prorſus ignarum,deprehendit: & quamvis per binos à fratre nuncios,Regem adventare,probe intellexerat, cuncta tamen iſta ſibi ante incognita ſimulabat; menſis itaq; remotis confe-

ſtim domeſticis & amicis forte præſentibus, ut in occurſum Regis ſe accingant, mandat: pauloq; poſt octuaginta circiter comitatus, Regi obviam ad iſthmum proceſſit: Regis verò ſatellitium tantum ſedecim fuere, ſolis gladiis inſtructi. Rex hoſpitio exceptus, horam integram prandium expectare cogitur: tarditatem autem & tenuitatem apparatus in inexpectatum Regis adventum Comes rejiciebat. Dum prandium paratur, Rex Alexandrum de tempore locum illum adeundi commodo interrogat: cui ille, cum res in tuto ſit, inquit, tẽpeſtivè ſatis & fortè commodius à prandio peragi poſſe: inſuper rogabat Regẽ, ut ſe relinqueret, ne forte frater, qui ſe toto illo die deſiderarat, ex clandeſtinis iſtiuſmodi colloquiis, quod res erat, ſuſpicaretur: ideo Rex ad Comitem ſe convertens, variis de rebus ſermone inſtituto, nihil ab illo, quippe aliis cogitationibus intento, ad rem vel ſolide eſt reſponſum. cum jam Rex accubuiſſet, Comes vultu admodum demiſſo, cogitabundus, ad extremitatem menſæ conſiſtens, nunc his nunc illis domeſticis flexa cervice nonnulla inſuſurrabat, ſæpius conclave, ſicut & ante prandium, frequentabat: nec Regem hilariter excipere, nec ullo ſigno gratum Regis adventũ declarare conabatur: imo Lenoxiæ Ducem, Marriæ Comitem, & aulæ nobiles, menſam Regis circumſtantes, ante ad prandium non deduxit, quam Regi menſæ ſecundæ apponerentur; cum aliâs poſt prima fercula nobiles prandium ordiri moris eſſet: tandem in aulam communem prandio excepit: verũ una, ut patriæ ferebat conſuetudo, non accubuit, ſed rediens regis menſæ, ſicut ante, mutus adſtitit: Rex hominem diligentius obſervans, familiarius cum eo cœpit agere, mirari ſe dicens, tam frigidè illum hoſpites ſuos tractare, quibus ne in prandio quidem adeſſe dignetur. Regem tandem à menſa ſurrecturum reliquis adhuc in aula prandentibus, Alexander in aurem admonet, tempus quidem jam urgere, verum fratris præſentiam obſtare, ideoq; cupere, ut frater a-

ter aliquo ablegetur: Rex igitur accepto poculo, hilari & familiari modo Comitem ita compellat: etsi, inquit me minime latet, te exterarum nationum in hospitibus tractandis morem probe callere, Scotus tamen cum sis, de recepta apud Scotos in hospitibus excipiendis consuetudine, ne domi peregrineris, à me adhuc es admonendus: quando igitur nec mihi propinaris, nec aliis tuis hospitibus in mensa adesse dignatus sis, in eoque non parum in hospitii leges peccaveris, tibi ego propino, idemque poculum hospitibus tuis offeras, meoque nomine lautius se tractent, jubeas volo. egresso Comite, Rex per Alexandrum jubet Thomam Eriskinum Equitem, qui una comitetur, advocari: ille Regem ut pergeret, suosq; ne sequerētur, publicè inhiberet, obsecrans, unum, pluresve pro Celsitudinis ipsius arbitrio postea adducturum se pollicetur. Ita Rex solus cum eo tricliniū egressus, per aulam illam, in qua sui prandebāt profectus, cochleam quandam ascendit, tādemq; per quatuor conclavia, ab Alexandro januas in transitu obserante, & vultu quam antea hilariori, hæc secum perpetuo dicente, In tuta illum, & firma satis custodia detineri, in musæum quoddam est perductus, ubi hominem non vinctum, sed liberum prorsus & pugione armatum conspicit: ut primùm autem musæum sunt ingressi, Alexander, occlusa prius janua, pileoque in caput superbe injecto, armato pugionem eripiens, & Regis pectori admovens, in hæc verba minabundus prorumpit: in mea jam potestate cum sis, meo etiam arbitrio te necesse habes subjicere; ideo si vel voculam unam edideris, vel fenestram ullam aperire coneris, præsentem mortem tibi expectandam puta: ut autem, quis tibi thesaurus sit expectandus intelligas, ita accipe: mihi dubium nō est, quin innocentis mei patris contra jus fasq; à te trucidati cæde, conscientia tibi jam gravetur: itaq; paternæ necis vindicem filium expecta. Rex subitam rerum mutationem

miratus,inermis (nam præter cornu venatorium,quod dum in negotio illo totus esset,nondum exuerat,armorum nihil gerebat)inter duos istos proditores mortē illius machinatos (nā & Alexander stricto pugione,& gladio armatus,& alter sed tremibundus,& timore totus concussus, ut condemnato non deputato ad tale facinus patrandum similior videri posset,latus hinc inde claudebat) constitutus: cum aliam evadendi rationem non videret, eloquentia (qua aliâs plurimum pollet,quaque tum imprimis opus erat) rem aggreditur,multisque prius commemoratis hæc addebat,quam horrendum facinus contra se innocentem,nec ullius sceleris sibi conscium intentaret: quod si,inquit,stat sententia, quod male excogitasti, pessimè exequi, id saltem tecum reputa inultum fore non posse,nec te impune tantum scelus laturū, quando mihi à Deo & liberi sint dati, qui cædis paternæ olim memores,huius facinoris rationem à te suo tempore reposcent: & fideles,meique,sat scio,amantissimi subditi, qui tam indignam Regis sui mortem impunitam non dimittent: imo,mihi crede,si neutrum esset, Deum vel ipsos lapides in tam nefandum & inauditum facinus armaturum. ad patres tui mortem quod attinet,Deus mihi testis est,quam nullo illius stimulo mihi conscientia pungatur,neque etiam te latēre arbitror, me tum temporis adhuc juniorem,sub factionis eiusmodi imperio captivum,quæ & mihi, & regno toti pro libitu dominaretur: præterea tibi constat, quicquid ea in re factum est,ex justitiæ,legumque moderamine esse decretū. Cęterum quò mea hic magis appareat innocentia,ipse tuum tibi pectus tange,& judex mihi in hac causa esto,quam bene de te,totaque vestra familia ex eo semper sim meritus,ut qui non tantum possessiones,& dignitates pristinas vobis restituerim,verum etiam sorores,eas tanquam in sinu fovendo, dilectissimæ meæ conjugis conclavi præficiendo hactenus educarim: sed istis sepositis,conscientiæ aculei tibi obversentor,

tor,ut qui eandem mecum religionem pro educatione profitearis,eandem,inquam, quam hodie profiteor,ſemperque à pueritia ſum profeſſus: imprimis vero ſancti illius, & pii Dei ſervi Roberti Rolloci monita tibi in memoriã revoca, cuius te olim diſcipulum es profeſſus,cuius & olim animam, certo mihi crede, te accuſaturam, iſtam ſævitiam adeo immanem & inhumanam ex eius diſciplina te nunquam hauſiſſe.quod ſi ad meos revertendi copiam facias,fide Regia tibi polliceor, me nemini unquam mortalium revelaturum, quid inter nos negotii interceſſerit,nec ſi aliunde retegatur, permiſſurum,ut quicquam inde vel pœnæ vel periculi tibi creetur. hæc quidem Rex ſeriò proponebat, ſed ne ſurdo verba fierent,non parum verebatur:quippe in vultu crudelitas,in geſtu faſtus & ſuperbia, nihil quam præſens exitium pollicebantur: tecto enim capite,omni depoſita reverentia, aſpectu minaci,Regem perorantem intuebatur:tandem verò.tantum effecit Regis pia & modeſta oratio,ut primò quaſi conſternatus,retecto rurſus capite, juramentis interpoſitis,ſit proteſtatus,ſe Regem ſalvum & incolumem dimiſſurum,ſi nullum ſe clamorem aut ſtrepitum emiſſurum polliceretur,ſeque tantum,Comitem fratrem ſuum, cum Rege colloquendi ergò introducturum. Verùm,inquit Rex, quid mihi cum Comite negotii? aut quid utilitatis ex mea hàc captivitate ad vos venire poteſt(ſiquidẽ ex promiſſis jã vitę gratia eſt facta?) cui ille,hoc ſe tantum polliceri,ſalvam ei futuram vitam,modo quietum ſe ac modeſtum teneret, reliqua fratrem,quem jam accerſeret, ſignificaturum: Alterum interim ſic affatus: Ego te hic Regis cuſtodem in meum reditum conſtituto,tibi igitur una,& illi cave, ſi quid enim acciderit,id tuo periculo fiet: ſimul & Regi, æquo illum animo ferre oportere,alium quippe neminem in eius reditum habiturum cuſtodem. Eo egreſſo, Rex hominem interrogat, an eius occidendi,aut quo alio fine illic eſſet conſtitutus, &

quantum in negotio isto intelligeret: ille ad aspectum Regis trepidus, voce prępedita, jure jurando interposito, sibi nihil prorsus ea de re constare, sed invitum eò, paulo ante Regis adventum esse pertractum, & foribus occlusis istic relictũ dicebat, quod etiam verisimile ex hominis gestu, præsente Alexandro videbatur; is enim toto eo tempore, quo cum Rege Alexander fuerat, nunquam destitit eum ne quid Regi gravius intentaret obsecrare. Interea Rex, quia Alexander, ante egressum, juramento eum obstrinxerat, ne vel vocem ederet, vel fenestram aperiret, hominem rogat, ut fenestram à dextris recluderet, & si quem è suis conspiceret, istuc advocaret: cui ille prompte est obsecutus. Rege in isto periculo versante, nec ullo è suis, ubi terrarum esset conscio, dum ex prandio veniunt, ex domesticis quidem Comitem admonet, Regem jam pridem abiisse, & isthmum hactenus superasse: quod ubi à Comite aulicis est nunciatum, agmine facto confestim foras contendunt: in transitu autem, quidã Ianitorem rogant, quam pridem rex discessisset, quibus janitor constanter affirmabat, Regem nondum egressum: quem Comes indignabundus intuitus, nequam mendacemq; hominem appellabat: interim ad Lenoxiæ Ducem & Marriæ Comitem conversus, sese jamiam certò, ubinam esset relaturum aiebat: simul testudinem ascendit, verum in alium finẽ, fratrem nempe convenire statuerat, ut ex rei circumstantiis facilè apparebat: eodem enim momento, frater, Rege in musæo relicto, magna velocitate gradus descenderat: Exigua tamen interposita mora Comes ad Ducem & reliquos, ante fores attonitos, revertitur, Regem per posticam jam pridem egressum asserens, adeoq; progressum, ut nisi properent, eum vix possint assequi: simul equum adduci jubet: quod ubi acceperũt similiter uno ore equos poscunt, & isthmum versus propere contendunt. Dum hæc geruntur: Alexander

ad Regem reverſus, in modum deſperantis, expanſis brachiis, omnem vitæ ſpem ſublatam aſſerebat, nec aliud ſe videre quam Regi jamjam eſſe moriendum: ideò periſcelidem Regis manibus injiciens Blaſphemiis execrandis ligari illum oportere aſſeverabat. Rex hoc audito, animum colligens, mentieris, inquit, ſiquidem liber princeps natus, liber etiam moriar. aſt ille Regem metacarpio conatus apprehendere, quò illi manus vinciret, nihil obtinuit, nam Rex illo apprehenſu ſe continuò liberavit, & manu dextera gladium exſerturum ſua ex adverſo cohibens, ſiniſtra gulam invadit, quod & ille jam Regi fecerat, duobus aut tribus digitis ori Regis ad loquelam clamoremque omnem intercipiendum inſertis: ita mutuo amplexu aliquandiu luctati, ad feneſtram illam jam apertam eum pertraxerit, idque non ſine miraculo, cum alioqui Regem viribus longè anteiret. interea (divina providentia ita moderante) eodem momento famulitium Regis una cum Gauriæ Comite ſub feneſtram tranſibant: Rex itaque, capite & cubito dextero per feneſtram exſerto, ſe iſthic prodi exclamat; cuius vox Lenoxiæ Duci, ac Marriæ Comiti audita ſimul & cognitá, Comite Gauriæ interim admirante, & quid ſibi res vellet. poſtulante, nec Regem à ſe viſum, nec vocem ullam auditam, ſimulante, omnes uno impetu per januam irruunt: dumque ſinguli viam ad Regem proximam quærunt, Lenoxiæ Dux & Marriæ Comes, ad eum aditum, per quem Regem ingreſſum antea viderant, ſe conferunt: Gauriæ vero Comes cum ſuis diverſam longe viam ingrediuntur, cochleam ſcilicet privatam, ante eum diem ſemper inviam, & tum primum, ut videbatur, ad facinus illud facilius exequendum, patefactam: Interea Rex continua-

tinua lucta Alexandrum Musæo extraxerat, cuius ostiũ proxime ingressus, dum aliis intentus nimium festinaret, apertum reliquerat. cumque jam magna cum difficultate Alexandri in genua dejecti caput sub axilla comprehendisset, cochleæ foribus ipsum affixit, & ensem manibus extorquere, eoque ipsum transfigere, transfixumque per gradus dejicere meditabatur, Iohannes Ramisæus Eques supervenit, qui Regis clamore audito, qua sibi potissimum esset eundum dubius, in eandem Cochleam, Deo sic dirigente, inciderat: ad cuius summitatem ubi pervenit cubiculum ingressus, Regem cum Alexandro, ut supra est relatum, colluctantem reperit, confestimque extracto pugione, altero illo se subducẽte, bis terve confossum per gradus cochleæ præcipitẽ dedit, qui dejectus à Thoma Eriskino & Hugone Hereisio Equitibus exceptus, in gradibus hæc verba postrema semianimis proferens, Ego in culpa non eram, extrema est passus. Thomæ Eriskini adventum cum Gauriæ Comite congressus retardarat: hunc enim Regis voce percepta, manu in gulam injecta sub pedes miserat, propediem interfecturus, nisi Comitis servi se sequestres dedissent, his aliquandiu impeditus, solus ferè relictus, tandem accedens ex summa cochlea Iohannis Ramisæi voce ad aures delata, in cubiculum contendit, Hugone Hereisio & fratris quodam servo, forte conspectis, sequi jussis, qui in transitu Alexandrum, ut dictum est confecerunt. hos tres confestim à tergo Gauriæ Comes est secutus, qui gladium utraque manu vibrans, capite galea munito, septem item satellitibus gladiis instructis stipatus, horrendum jurans, ad unum omnes morte morituros proclamat. Rex Comite conspecto Alexandri jam mortui gladium, qui illi dum detruderetur, exciderat, inermis quærebat: sed à suis in musæum invitus est retractus, & ostio obserato exitu prohibitus; quem ubi in tuto collocassent, cum Comite eiusque servis manus conserunt; & post multa vulnera

nera utrinque data dedit Deus, quatuor illis utcunque armatis, de octo probe instructis, victoriam reportare, quæ à Comitis morte initium una & finem habuit: hoc enim à Iohanne Ramisæo per præcordia transfixo, & sine ulla numinis, vel invocatione, vel mentione e vita sublato, servi facile per gradus, multis prius plagis saucii, sunt detrusi, sicut & prædicti quatuor non sine sanguine victoria sunt potiti. Dum hæc superius peraguntur, Lenoxiæ Dux & Marriæ Comes cum reliquis inferius, aditum illum, per quem Rex antea transierat, malleis patefacere nitebantur: sed diu frustra: nam ex robore cum esset, sicut & paries totus, ictibus cedebat, ut post dimidiam tandem horam, transitu patefacto Regem à tam præsenti periculo, longe præter expectationem, liberatum, Comite proditionis autore ad pedes mortuo jacente, accedunt. His peractis Rex in medio suorum, in genua supplex procumbens, Deo pro liberatione tam miraculosa, & victoria tam insperata gratias prolixe agebat; sibiq; pollicebatur, non frustra se Deum ab imminente isto periculo liberasse: nec dubitare se, quin idem Deus à tanto malo incolumem servarit, ut qui olim se in maiori negotio ad nominis sui gloriam, Evangelii filii sui propagationem & populi suæ curę commissi emolumentum, sit usurus. Interea fama per urbem sparsa Gouriæ Comitem, urbis præfectum, esse interemptum, magni tumultus causas dedit; siquidem multitudo ex omnibus urbis angulis concurrens, facinoris ignara, domum undique, trium aut quatuor horarum spacio, cingebat, donec tandem Rex per fenestram illos alloquendo, & manu signa faciendo, tumultum compescuit, & magistratui urbis in conclave ad se vocato, rem totam, ut gesta erat, exposuit. deniq; ædes & proditorum cadavera, donec quidpiã de iis statueretur, illorum custodiæ commẽdavit: prius tamẽ scripta & literas diligenter est scrutatus, si forte quid posset reperiri, quod ad conjurationem detegendam faceret, sed

præter marſupium magicis characteribus,& vocabulis incantatoriis plenum,nihil eſt inventum:in hoc veriſimile eſt,non parum fiduciæ Comitem collocaſſe: nam ſine eo nunquam tutum ſe arbitrabatur, ideoque perpetuò circumgeſtabat. quin & illud obſervatum eſt,quamdiu de collo illi ſuſpenſi manebant, vulnera,quibus periit, ne guttulam unam ſanguinis diſtillaſſe,ut primum dempti fuere,totum corpus abundanti cruore manaſſe. His peragendis dies ad octavam veſpertinam eſt protractus,antequam Rex pre hominum multitudine,undiq; magno numero confluente,in viam ſeſe rurſus dare poterat. Cum verò quatuor millibus paſſuum Pertho Falclandiam verſus proceſſiſſet,omnia viarum compita, ex omni hominum genere,equitum peditumq; obviam eũtium,fuere completa,ut applauſus gratulatorii læta conclamatio ultra mille paſſus exaudiretur. Quæ vero alia lætitiæ, & gaudii teſtimonia ſubditi per totum regnum diſperſi ediderint,quãtus ex omnibus regni partibus cõcurſus, quanta tormentorum terra mariq; fulmina,quot Pyrſiæ vbiq; accenſæ, quamque frequentes nolarum pulſus,quæ denique preces publicæ privatæque fuerint; fuſius proſequi non eſt huius loci.

EXA-

EXAMEN TESTIVM.

Falclandiæ 9. Augusti 1600.

Præsentibus Dom. Cancellario, Thesaurario, Secretario, Advocato & Georgio Humio Equitibus.

Iacobus Venius à Bogy viginti sex annos natus, de vita & moribus Iohannis quondam Gauriæ Comitis, an proditionis illius adversus Maiestatem regiam indicia ulla, dum secum in Strabran ageret, percepisset, interrogatus: se nihil tale animadvertere in eo potuisse, respondit: an de rebus curiosis sermonem unquam cum illo habuisset, rogatus, refert in Strabran commorantibus, à quibusdam serpentem fuisse inventum, quo interempto, req; ad Comitem delata, dixisse eum, si interfectus serpens non fuisset, ludos facetissimos vidissetis: ego enim, inquit, vocis unius Hebrææ (cuius jam se oblitum Iacobus aiebat) prolatione, quæ sanctitatem Latinè sonat, immotus ut consisteret, effecissem, ita ut ne discessum quidem vel semel fuisset molitus: quod se antea expertum dicebat: cumq; Iacobus quæreret, ubinam hebræam vocem reperisset, in Talmud Iudæorum respondisse, & ex traditione promanasse: quærenti denuo, quid sibi vocabulum illud Cabbalisticum seu Talmud vellet, Comes respondit, esse voces quasdam Iudæis per traditionem datas, & à Deo in Paradiso prolatas, eoq; maioris esse efficaciæ, quam ullas postea à Prophetis vel Apostolis usurpatæ. roganti iterum, an præter nudam vocem nihil requiratur, firmam præterea & immotam in Deo fidem necessario adesse oportere dicebat: nec novum hoc apud doctos videri, quando naturæ sit consentaneum: seque hæc à quodam Italo primum didicisse, quem, principio cum Necromanticum, postea doctum & profundum Theologum esse accepisset, de secretis naturæ pluribus cum illo egisse. præterea Comitem retulisse, musicam se aliquando audientem, alium convenisse, qui ipsum intuitus nonnulla de se apud reliquos retulerat, quæ nunquam assequi, nec eis dignus videri potuit, ideoque graviter se illum increpasse, utq; ab istiusmodi sermonibus imposterum caveret, monuisse. postea in eundem rursus hominem in simili sodalitio cum esset, incidisse, qui cū eadem, quæ antea, referret, dixisse se, amice, nisi falsa de me dicere desinas, vera de te audiendo silentium te imposterum docebo, ideoq; dixisse tali eum intervallo, ob tale facinus suspensum iri, ac ita sese rem postea habuisse.

 Iacobo

ad quem apprehendendum, motusq; ab eo excitatos sedandos, Regem proficisci sunt arbitrati. Alexander ut novos equos Lenoxiæ Duci, Marriæ Comiti, & aliis nonnullis aulicis adduci videt, obnixe rogat, ut toti comitatui Rex publicè denunciet; ne, quando eadem vespera esset rediturus, eũ ulterius comitentur, inprimis verò Lenoxiæ Ducẽ & Marriæ Comitem, quo minus sequantur inhiberet, sibique tres tantum, quatuorve ex infimo satellitio adjungeret: fieri enim non posse asserebat, quin si ex nobilitate aliqui adsint, totum negotium male sit successurum. hinc Rex non parum commotus; Lenoxię, inquit, Duci, vel Marriæ Comiti, in maioris momenti negotio se nolle diffidere, nec videre se, quid impedimenti quisquam, nobilis is sit, an ignobilis, unus an plures, possint adferre. Verum ita alte postrema illa verba Regis animo insederant, ut ex variis variæ suspiciones subinde orirentur: juvenẽ tamen à multis annis sibi jam probe cognitum, quique non multò ante in nobilium cameræ numerum recipi petierat, quicquam mali machinari, ne vel minimum suspicari poterat: ideò nec ulterius Regis cogitationes sese extendebant, quam juvenem alioqui ingenuum & magnanimum, duriuscule à fratre tractatum in mentis alienationem incidisse, quod non minus ex vultu commoto, insolenti adspectu, & continua, durante venatione, meditatione solitaria; quam ex inauditis & fide maioribus narrationibus colligebat: quare, re tota cum Lenoxiæ duce communicata, serio rogabat, an juvenis illius (utpote affinis, cuius sororem in uxorem duxerat) ingenium & mores illi essent perspecti, & an unquam delirio, vel animi perturbatione extraordinario corripi solitum advertisset: sibi enim vix eum sana mente videri: interim sedulo Ducem monebat, ne omitteret, quin eò ubi perventum esset, ubi homo ille cũ thesauro custodiri dicebatur, recta sequeretur: ista Duci vehementer admiranti, prorsus absona & incredibilia visa sunt: interim

asserere-

afferebat,nihil unquam à ſe in juvene illo obſervatum, quod vel leviſſimum mentis alienatæ indicium prę ſe ferret. Alexander privatum illud cum Duce colloquium obſervans, & rem ex circumſtantiis metiens,regem accedit, etiam atque etiam rogans,ne cuiuſquam fidei negotium iſtud concrederet,nec ulli,quò eſſet ipſum ducturus, ſequendi poteſtatem prius concederet, quam Rex ſolus hominem, theſaurumq; eſſet conſpicatus: cui Rex ſubridens,ſe non bene in pecunia numeranda verſatum, ideoque quempiam adeſſe opotere, qui hic ſaltem partes illas ſubeat,reſpondit; excepit ille,nulli ſe præterquam ſoli Regi primò ad theſaurum illum aditū daturum, verum illo à Rege ſolo ſemel conſpecto, poſtea quoſcunque poſſe advocari: hic ſermo Regi durior viſus,ſuſpicioni priori novam addidit: ideo inſidias ſibi ſtrui manifeſtò concludebat: verum tot, tantas, tamque varias ſuſpiciones cogitabundus animo volvebat, ut ſingulæ ſingulas velut æſtu reciproco obruerent,adeoque nihil certi ſtatuere potuerit: quare inter ſpem metumque dubius progreditur, rediturus fortaſſis, niſi quod nullius ſceleris ſibi conſcius, nec certo fundamento innixus,à ſententia tam ſubitò diſcedere, turpe videbatur. quamvis vero Alexander equo plane laſſo, & qui reliquos curſu vix poterat æquare, inſideret, Regem tamen ſubinde monebat,ut equo calcaria ſubderet. poſtquam duobus miliaribus Falclandia eſſent progreſſi, in via ſubſtitit,& alterum ſervum Andream Ruthuenum, qui de Regis adventu fratrem admoneret,eadem, qua ad priorem, uſus exhortatione, clanculum præmittit: eoque præmiſſo,cum mille paſſus ab urbe diſtarent, præcedere ſe velle dicebat, ut fratrem de Regis adventu pręmoneret: ad fratrem ut ventum eſt, in prandio, quaſi talis negotii prorſus ignarum,deprehendit:& quamvis per binos à fratre nuncios,Regem adventare,probe intellexerat, cuncta tamen iſta ſibi ante incognita ſimulabat; menſis itaq; remotis confe-

ſtim domeſticis & amicis forte præſentibus, ut in occurſum Regis ſe accingant, mandat: pauloq; poſt octuaginta circiter comitatus, Regi obviam ad iſthmum proceſſit: Regis verò ſatellitium tantum ſedecim fuere, ſolis gladiis inſtructi. Rex hoſpitio exceptus, horam integram prandium expectare cogitur: tarditatem autem & tenuitatem apparatus in inexpectatum Regis adventum Comes rejiciebat. Dum prandium paratur, Rex Alexandrum de tempore locum illum adeundi commodo interrogat: cui ille, cum res in tuto ſit, inquit, tẽpeſtivè ſatis & fortè commodius à prandio peragi poſſe: inſuper rogabat Regẽ, ut ſe relinqueret, ne forte frater, qui ſe toto illo die deſiderarat, ex clandeſtinis iſtiuſmodi colloquiis, quod res erat, ſuſpicaretur: ideo Rex ad Comitem ſe convertens, variis de rebus ſermone inſtituto, nihil ab illo, quippe aliis cogitationibus intento, ad rem vel ſolide eſt reſponſum. cum jam Rex accubuiſſet, Comes vultu admodum demiſſo, cogitabundus, ad extremitatem menſæ conſiſtens, nunc his nunc illis domeſticis flexa cervice nonnulla inſuſurrabat, ſæpius conclave, ſicut & ante prandium, frequentabat: nec Regem hilariter excipere, nec ullo ſigno gratum Regis adventũ declarare conabatur: imo Lenoxiæ Ducem, Marriæ Comitem, & aulæ nobiles, menſam Regis circumſtantes, ante ad prandium non deduxit, quam Regi menſæ ſecundæ apponerentur; cum aliâs poſt prima fercula nobiles prandium ordiri moris eſſet: tandem in aulam communem prandio excepit: verũ una, ut patriæ ferebat conſuetudo, non accubuit, ſed rediens regis menſæ, ſicut ante, mutus adſtitit: Rex hominem diligentius obſervans, familiarius cum eo cœpit agere, mirari ſe dicens, tam frigidè illum hoſpites ſuos tractare, quibus ne in prandio quidem adeſſe dignetur. Regem tandem à menſa ſurrecturum reliquis adhuc in aula prandentibus, Alexander in aurem admonet, tempus quidem jam urgere, verum fratris præſentiam obſtare, ideoq; cupere, ut frater a-

ter aliquo ablegetur: Rex igitur acce[illegible] poculo, hilari & familiari modo Comitem ita compellat: etsi, inquit me minime latet, te exterarum nationum in hospitibus tractandis morem probe callere, Scotus tamen cum sis, de recepta apud Scotos in hospitibus excipiendis consuetudine, ne domi peregrineris, à me adhuc es admonendus: quando igitur nec mihi propinaris, nec aliis tuis hospitibus in mensa adesse dignatus sis, in eoque non parum in hospitii leges peccaveris, tibi ego propino, idemque poculum hospitibus tuis offeras, meoque nomine lautius se tractent, jubeas volo. egresso Comite, Rex per Alexandrum jubet Thomam Eriskinum Equitem, qui una comitetur, advocari: ille Regem ut pergeret, suosq; ne sequerētur, publicè inhiberet, obsecrans, unum, pluresve pro Celsitudinis ipsius arbitrio postea adducturum se pollice[illegible] Rex solus cum eo tricliniū egressus, per aulam illam, in qua sui prandebāt profectus, cochleam quandam ascendit, tādemq; per quatuor conclavia, ab Alexandro januas in transitu obserante, & vultu quam antea hilariori, hæc secum perpetuo dicente, In tuta illum, & firma satis custodia detineri, in musæum quoddam est perductus, ubi hominem non vinctum, sed liberum prorsus & pugione armatum conspicit: ut primùm autem musæum sunt ingressi, Alexander, occlusa prius janua, pileoque in caput superbe injecto, armato pugionem eripiens, & Regis pectori admovens, in hæc verba minabundus prorumpit: in mea jam potestate cum sis, meo etiam arbitrio te necesse habes subjicere; ideo si vel voculam unam edideris, vel fenestram ullam aperire coneris, præsentem mortem tibi expectandam puta: ut autem, quis tibi thesaurus sit expectandus intelligas, ita accipe: mihi dubium nō est, quin innocentis mei patris contra jus fasq; à te trucidati cæde, conscientia tibi jam gravetur: itaq; paternæ necis vindicem filium expecta. Rex subitam rerum mutationem

B ij miratus,

miratus, inermis (nam præter cornu venatorium, quod dum in negotio illo totus esset, nondum exuerat, armorum nihil gerebat) inter duos istos proditores mortē illius machinatos (nā & Alexander stricto pugione, & gladio armatus, & alter sed tremibundus, & timore totus concussus, ut condemnato non deputato ad tale facinus patrandum similior videri posset, latus hinc inde claudebat) constitutus: cum aliam evadendi rationem non videret, eloquentia (qua aliâs plurimum pollet, quaque tum imprimis opus erat) rem aggreditur, multisque prius commemoratis hæc addebat, quam horrendum facinus contra se innocentem, nec ullius sceleris sibi conscium intentaret: quod si, inquit, stat sententia, quod male excogitasti, pessimè exequi, id saltem tecum reputa inultum fore non posse, nec te impune tantum scelus laturū, quando mihi à Deo & liberi sunt dati, qui cædis paternæ olim memores, huius facinoris rationem à te suo tempore reposcent: & fideles, meique, sat scio, amantissimi subditi, qui tam indignam Regis sui mortem impunitam non dimittent: imo, mihi crede, si neutrum esset, Deum vel ipsos lapides in tam nefandum & inauditum facinus armaturum. ad patres tui mortem quod attinet, Deus mihi testis est, quam nullo illius stimulo mihi conscientia pungatur, neque etiam te latêre arbitror, me tum temporis adhuc juniorem, sub factionis eiusmodi imperio captivum, quæ & mihi, & regno toti pro libitu dominaretur: præterea tibi constat, quicquid ea in te factum est, ex justitiæ, legumque moderamine esse decretū. Cęterum quò mea hic magis appareat innocentia, ipse tuum tibi pectus tange, & judex mihi in hac causa esto, quam bene de te, totaque vestra familia ex eo semper sim meritus, ut qui non tantum possessiones, & dignitates pristinas vobis restituerim, verum etiam sorores, eas tanquam in sinu fovendo, dilectissimæ meæ conjugis conclavi præficiendo hactenus educarim: sed istis sepositis, conscientiæ aculei tibi obversentor,

tor,

tor,ut qui eandem mecum religionem pro educatione profitearis,eandem,inquam, quam hodie profiteor,ſemperque à pueritia ſum profeſſus: imprimis vero ſancti illius, & pii Dei ſervi Roberti Rolloci monita tibi in memoriã revoca, cuius te olim diſcipulum es profeſſus,cuius & olim animam, certo mihi crede, te accuſaturam, iſtam ſævitiam adeo immanem & inhumanam ex eius diſciplina te nunquam hauſiſſe.quod ſi ad meos revertendi copiam facias,fide Regia tibi polliceor,me nemini unquàm mortalium revelaturum, quid inter nos negotii interceſſerit,nec ſi aliunde retegatur, permiſſurum,ut quicquam inde vel pœnæ vel periculi tibi creetur. hæc quidem Rex ſeriò proponebat, ſed ne ſurdo verba fierent,non parum verebatur:quippe in vultu crudelitas,in geſtu faſtus & ſuperbia, nihil quam præſens exitium pollicebantur: tecto enim capite,omni depoſita reverentia, aſpectu minaci,Regem perorantem intuebatur:tandem verò.tantum effecit Regis pia & modeſta oratio,ut primò quaſi conſternatus,retecto rurſus capite, juramentis interpoſitis,ſit proteſtatus,ſe Regem ſalvum & incolumem dimiſſurum,ſi nullum ſe clamorem aut ſtrepitum emiſſurum polliceretur,ſeque tantum,Comitem fratrem ſuum, cum Rege colloquendi ergô introducturum. Verùm,inquit Rex, quid mihi cum Comite negotii? aut quid utilitatis ex mea hàc captivitate ad vos venire poteſt(ſiquidẽ ex promiſſis jã vitę gratia eſt facta?) cui ille,hoc ſe tantum polliceri,ſalvam ei futuram vitam,modo quietum ſe ac modeſtum teneret, reliqua fratrem,quem jam accerſeret, ſignificaturum: Alterum interim ſic affatus: Ego te hic Regis cuſtodem in meum reditum conſtituto,tibi igitur una,& illi cave, ſi quid enim acciderit,id tuo periculo fiet: ſimul & Regi, æquo illum animo ferre oportere,alium quippe neminem in eius reditum habiturum cuſtodem. Eo egreſſo, Rex hominem interrogat, an eius occidendi,aut quo alio fine illic eſſet conſtitutus, &

 quantum

quantum in negotio isto intelligeret: ille ad aspectum Regis trepidus, voce prępedita, jure jurando interposito, sibi nihil prorsus ea de re constare, sed invitum eò, paulo ante Regis adventum esse pertractum, & foribus occlusis istic relictũ dicebat, quod etiam verisimile ex hominis gestu, præsente Alexandro videbatur; is enim toto eo tempore, quo cum Rege Alexander fuerat, nunquam destitit eum ne quid Regi gravius intentaret obsecrare. Interea Rex, quia Alexander, ante egressum, juramento eum obstrinxerat, ne vel vocem ederet, vel fenestram aperiret, hominem rogat, ut fenestram à dextris recluderet, & si quem è suis conspiceret, istuc advocaret: cui ille prompte est obsecutus. Rege in isto periculo versante, nec ullo è suis, ubi terrarum esset conscio, dum ex prandio veniunt, ex domesticis quidem Comitem admonet, Regem jam pridem abiisse, & isthmum hactenus superasse: quod ubi à Comite aulicis est nunciatum, agmine facto confestim foras contendunt: in transitu autem, quidã Ianitorem rogant, quam pridem rex discessisset, quibus janitor constanter affirmabat, Regem nondum egressum: quem Comes indignabundus intuitus, nequam mendacemq; hominem appellabat: interim ad Lenoxiæ Ducem & Marriæ Comitem conversus, sese jamiam certò, ubinam esset relaturum aiebat: simul testudinem ascendit, verum in alium finẽ, fratrem nempe convenire statuerat, ut ex rei circumstantiis facilè apparebat: eodem enim momento, frater, Rege in musæo relicto, magna velocitate gradus descenderat: Exigua tamen interposita mora Comes ad Ducem & reliquos, ante fores attonitos, revertitur, Regem per posticam jam pridem egressum asserens, adeoq; progressum, ut nisi properent, eum vix possint assequi: simul equum adduci jubet: quod ubi acceperũt similiter uno ore equos poscunt, & isthmum versus propere contendunt. Dum hæc geruntur: Alexander

ed

ad Regem reverſus, in modum deſperantis, expanſis brachiis, omnem vitæ ſpem ſublatam aſſerebat, nec aliud ſe videre quam Regi jamjam eſſe moriendum: ideò periſcelidem Regis manibus injiciens Blaſphemiis execrandis ligari illum oportere aſſeverabat. Rex hoc audito, animum colligens, mentieris, inquit, ſiquidem liber princeps natus, liber etiam moriar. aſt ille Regem metacarpio conatus apprehendere, quò illi manus vinciret, nihil obtinuit, nam Rex illo apprehenſu ſe continuò liberavit, & manu dextera gladium exſerturum ſua ex adverſo cohibens, ſiniſtra gulam invadit, quod & ille jam Regi fecerat, duobus aut tribus digitis ori Regis ad loquelam clamoremque omnem intercipiendum inſertis: ita mutuo amplexu aliquandiu luctati, ad feneſtram illam jam apertam eum pertraxerit, idque non ſine miraculo, cum alioqui Regem viribus longè anteiret. interea (divina providentia ita moderante) eodem momento famulitium Regis una cum Gauriæ Comite ſub feneſtram tranſibant: Rex itaque, capite & cubito dextero per feneſtram exſerto, ſe iſthic prodi exclamat; cuius vox Lenoxiæ Duci, ac Marriæ Comiti audita ſimul & cognita, Comite Gauriæ interim admirante, & quid ſibi res vellet. poſtulante, nec Regem à ſe viſum, nec vocem ullam auditam, ſimulante, omnes uno impetu per januam irruunt: dumque ſinguli viam ad Regem proximam quærunt, Lenoxiæ Dux & Marriæ Comes, ad eum aditum, per quem Regem ingreſſum antea viderant, ſe conferunt: Gauriæ vero Comes cum ſuis diverſam longe viam ingrediuntur, cochleam ſcilicet privatam, ante eum diem ſemper inviam, & tum primum, ut videbatur, ad facinus illud facilius exequendum, patefactam: Interea Rex con-

tinua-

tinua lucta Alexandrum Musæo extraxerat, cuius ostiū proxime ingressus, dum aliis intentus nimium festinaret, apertum reliquerat. cumque jam magna cum difficultate Alexandri in genua dejecti caput sub axilla comprehendisset, cochleæ foribus ipsum affixit, & ensem manibus extorquere, eoque ipsum transfigere, transfixumque per gradus dejicere meditabatur, Iohannes Ramisæus Eques supervenit, qui Regis clamore audito, qua sibi potissimum esset eundum dubius, in eandem Cochleam, Deo sic dirigente, inciderat: ad cuius summitatem ubi pervenit cubiculum ingressus, Regem cum Alexandro, ut supra est relatum, colluctantem reperit, confestimque extracto pugione, altero illo se subducēte, bis terve confossum per gradus cochleæ præcipitē dedit, qui dejectus à Thoma Eriskino & Hugone Hereisio Equitibus exceptus, in gradibus hæc verba postrema semianimis proferens, Ego in culpa non eram, extrema est passus. Thomæ Eriskini adventum cum Gauriæ Comite congressus retardarat: hunc enim Regis voce percepta, manu in gulam injecta sub pedes miserat, propediem interfecturus, nisi Comitis servi se sequestres dedissent, his aliquandiu impeditus, solus ferè relictus, tandem accedens ex summa cochlea Iohannis Ramisæi voce ad aures delata, in cubiculum contendit, Hugone Hereisio & fratris quodam servo, forte conspectis, sequi jussis, qui in transitu Alexandrum, ut dictum est confecerunt. hos tres confestim à tergo Gauriæ Comes est secutus, qui gladium utraque manu vibrans, capite galea munito, septem item satellitibus gladiis instructis stipatus, horrendum jurans, ad unum omnes morte morituros proclamat. Rex Comite conspecto Alexandri jam mortui gladium, qui illi dum detruderetur, exciderat, inermis quærebat: sed à suis in musæum invitus est retractus, & ostio obserato exitu prohibitus; quem ubi in tuto collocassent, cum Comite eiusque servis manus conserunt; & post multa vulnera

nera utrinque data dedit Deus,quatuor illis utcunque armatis,de octo probe instructis,victoriam reportare, quæ à Comitis morte initium una & finem habuit: hoc enim à Iohanne Ramisæo per præcordia transfixo,& sine ulla numinis,vel invocatione,vel mentione e vita sublato,servi facile per gradus, multis prius plagis saucii, sunt detrusi; sicut & prædicti quatuor non sine sanguine victoria sunt potiti. Dum hæc superius peraguntur, Lenoxiæ Dux & Marriæ Comes cum reliquis inferius,aditum illum,per quem Rex antea transierat,malleis patefacere nitebantur: sed diu frustra: nam ex robore cum esset, sicut &paries totus,ictibus cedebat,ut post dimidiam tandem horam,transitu patefacto Regem à tam præsenti periculo, longe præter expectationem, liberatum, Comite proditionis autore ad pedes mortuo jacente, accedunt. His peractis Rex in medio suorum, in genua supplex procumbens,Deo pro liberatione tam miraculosa, & victoria tam insperata gratias prolixe agebat, sibiq; pollicebatur, non frustra se Deum ab imminente isto periculo liberasse: nec dubitare se,quin idem Deus à tanto malo incolumem servarit, ut qui olim se in maiori negotio ad nominis sui gloriam,Evangelii filii sui propagationem & populi suæ curę commissi emolumentum,sit usurus. Interea fama per urbem sparsa Gouriæ Comitem, urbis præfectum, esse interemptum,magni tumultus causas dedit; siquidem multitudo ex omnibus urbis angulis concurrens, facinoris ignara, domum undique,trium aut quatuor horarum spacio,cingebat,donec tandem Rex per fenestram illos alloquendo, & manu signa faciendo, tumultum compescuit,& magistratui urbis in conclave ad se vocato, rem totam, ut gesta erat, exposuit. deniq; ædes & proditorum cadavera, donec quidpiã de iis statueretur,illorum custodiæ commẽdavit: prius tamẽ scripta & literas diligenter est scrutatus, si forte quid posset reperiri, quod ad conjurationem detegendam faceret, sed

EXAMEN TESTIVM.

Falclandiæ 9. Augusti 1600.

Præsentibus Dom. Cancellario, Thesaurario, Secretario, Advocato & Georgio Humio Equitibus.

IAcobus Vemius à Bogy viginti sex annos natus, de vita & moribus Iohannis quondam Gauriæ Comitis, an proditionis illius adversus Maiestatem regiam indicia ulla, dum secum in Strabran ageret, percepisset, interrogatus: se nihil tale animadvertere in eo potuisse, respondit: an de rebus curiosis sermonem unquam cum illo habuisset, rogatus, refert in Strabran commorantibus, à quibusdam serpentem fuisse inventum, quo interempto, reque ad Comitem delata, dixisse eum, si interfectus serpens non fuisset, ludos facetissimos vidissetis: ego enim, inquit, vocis unius Hebrææ (cuius iam se oblitum Iacobus aiebat) prolatione, quæ sanctitatem Latinè sonat, immotus ut consisteret, effecissem, ita ut ne discessum quidem vel semel fuisset molitus: quod se antea expertum dicebat: cumque Iacobus quæreret, ubinam hebræam vocem reperisset, in Talmud Iudæorum respondisse, & ex traditione promanasse: quærenti denuo, quid sibi vocabulum illud Cabbalisticum seu Talmud vellet, Comes respondit, esse voces quasdam Iudæis per traditionem datas, & à Deo in Paradiso prolatas, eoque maioris esse efficaciæ, quam ullas postea à Prophetis vel Apostolis usurpatas. roganti iterum, an præter nudam vocem nihil requiratur, firmam præterea & immotam in Deo fidem necessario adesse oportere dicebat: nec novum hoc apud doctos videri, quando naturæ sit consentaneum: seque hæc à quodam Italo primum didicisse, quem, principio cum Necromanticum, postea doctum & profundum Theologum esse accepisset, de secretis naturæ pluribus cum illo egisse. præterea Comitem retulisse, musicam se aliquando audientem, alium convenisse, qui ipsum intuitus nonnulla de se apud reliquos retulerat, quæ nunquam assequi, nec eis dignus videri potuit; ideoque graviter se illum increpasse, utque ab istiusmodi sermonibus imposterum caveret, monuisse. postea in eundem rursus hominem in simili sodalitio cum esset, incidisse, qui cũ eadem, quæ antea, referret, dixisse se, amice, nisi falsa de me dicere desinas, vera de te audiendo silentium te imposterum docebo, ideoque dixisse tali cum intervallo, ob tale facinus suspensum iri, ac ita sese rem postea habuisse.

Iacobo à comite quærenti, unde istud accepisset, ridendo dixisse, se tantum ita conjecisse, & eventum conjecturæ respondisse. ad hæc Comitem dixisse, non esse artis herbam in carnem transformare, quæ mox in muscas abeat. Possibile quoq; esse, ut semen humanũ alia ratione, quam in matrice muliebri ad perfectionem perduceretur. Iacobũ verò Comitem monuisse, ne cum quibusvis talia communicaret, illumq; excepisse, apud doctos tantum se huiusmodi proferre, nec illi relaturum fuisse, nisi amicum eum, & taciturnum intellexisset, siquidem ista à vulgò sinistrè interpretari posse, probè sciret.

Subscribitur I. Vemius à Bogy.

Falclandiæ 20. Augusti 1600.

Præsentibus Dominis, D. Cancellario, Thesaurario, Advocato, GEORGIO HOMIO à Spot, Roberto & Iacobo Melvillis Equitibus.

MAgister Gulielmus Rynd, juratus, examinatus, & rogatus, ubinam primò Characteres illos apud Comitem repertos, vidisset: respondit, postquam aliquandiu Venetiis substitisset, Paduam reversus in Comitis mantica eos se primo invenisse: cumque comitem interrogaret, ubinam eos acquisivisset, dixisse, se casu tantum aliunde transcripsisse: præterea se probe nosse, Characteres Latinos ab ipso Comite scriptos, de Hebræis verò non posse quicquam certi asserere. investitus item mutatione, Characteres illos marsupio eximere, & à Comite rogare solitum cuinam usui deservirent, eumque iratum respondere, quid quæso ad te ista scire, quando tibi non noceant? retulit insuper, si quando accideret, ut illorum oblivisceretur, egressum sæpius, quasi furore accensum, reverti consuevisse, nec prius quiescere solitum, quam inventos in loculum suum reponeret. se quoque sæpius de illis concremandis, nisi Comitis ira obstitisset, cogitasse: si quando enim de industria ex Comitis loculis illos excussisset, tanta ira in eum accendebatur, ut ad tempus se nec alloquio, nec hilari adspectu dignaretur: nec unquam Comitem, ex quo primum Paduæ illos vidisset, ad ultimum usque diem, libenter eis caruisse. Præterea Characteres à Patricio Gallovidio rursus exhibitos, eosdem esse confessus est. Item die Lunæ vesperi, quarto puta Augusti, Comitis fratrem, Andream Hendersonum, & se, ad decimam noctis in Comitis conclavi permansisse, & post longum inter Comites fratres colloquium, Andream Hendersonum à Comite advocatum, & paucis cum eo locutum, una dimisisse: Alexandri & Andreæ Hendersoni Falclandiam versus profectionem sibi prorsus incognitam affirmavit. & quamvis die postero otreatum visisset, Falclandia tamen reversum non intellexisse. addit & hæc, Comitem à fratre ingrediente, petiisse, an Rex in isthmo jam esset, moxque surrexisse, reliquisque, ut comitarentur, mandasse. Verùm quid ab Alexandro

Comiti

Comiti sit relatum nescire se. rogatus an in comitatu regio præter gladios alia vidisset arma: nulla respondit, cum quæreretur, quomodo Comitis illud de Regis adventu responsum, quo nescire se affirmaverat, unde, vel qua gratia veniret, ipsi satisfecisset: ait, putasse se, Comitem dissimulasse: quando nescire non potuerit, cum & frater priusquam illud à Comite peteret, una cum Rege accessisset, privatimq; cum Comite loquutus fuisset: Alexandrum Falclandiam profectum prius non intellexisse, quam post Regis Perthum adventum, ab Andrea Ruthveno, ea de re ab ipso interrogato, illud rescivisset. quin etiam Andream adjecisse, Regem post privatum cum Alexandro colloquium una cum illis progressum esse: Andreamq; Hendersonum ab Alexandro præmissum, qui Comiti de Regis adventu significaret: addit, non verisimile sibi videri Alexandrum voluisse Regem ad Comitem inscium invitare: seque, audito tumultu, certò sibi persuasisse, iniuriam aliquam ab Alexandro Regi illatam: nec ullum aliter statuere potuisse, quam insignem aliquam proditionem ab Alexandro & Comite adversus Maiestatem Regiam intentatam. Item Comitatum Regium, numerum duodecim non excedere sibi visum.

Sic subscribitur M.W.Rynd.

22. Augusti 1600.

M*Agister Gulielmus Rynd juratus & examinatus, an Comitem unquam de viri prudentis in gravibus & magni momenti negotiis, officio, differentem audivisset: respondit, dum peregrinarentur, se illum sæpius ea de re disputantem audivisse: illumq; in ea semper fuisse sententia, pro viro prudente non habendum, qui facinus aliquod magnum & periculosum exequuturus, cum ullo alio communicaret: eo quod sibi reservato consilio, detegi, eove frustrari non posset. Idem antea, non rogatus, Perthi ministro fassus erat. Quid de Andreæ Hendersoni depositione, sibi jam lecta, & facinore illo in Regem admisso bona fide videretur, interrogatus; bona fide credere se Andream Hendersonum rei circumstantias verè declarasse.*

Sic subscribitur M.W.Rynd.

Falclandiæ 20. Augusti 1600.

Præsentibus Dom. Cancellario, Thesaurario, Advocato, Georgio Homio à Spot, & Iacobo Melvillo Equitibus.

A*Ndreas Hendersonus, juratus, examinatus & interrogatus, quæ fuerint inter ipsum & Comitem, die Lunæ vesperi, quarto scilicet Augusti, in conclavi colloquia, respondit Comitem quæsivisse quid crastino die negotii haberet, seq; dixisse, ad Rothuen sibi eundum: Verum Comitem excepisse, Falclandiam cum Alexandro fra-*

 tre cras

tre cras te proficisci oportet: quod si remiserit sive literas, sive mandata ad me dederit, vide ut id expeditissimè exequaris. Alexandrũ praeterea Andreae Ruthueno per eũ mandasse, ut cras hora quarta matutina ad ipsum comitandum sit paratus. Cum hora septima matutina Falclandiam ventum esset Alexandrum in hospitio non procul à Regis palatio, moram traxisse, seq; ad inquirendum ubi, & quid Rex ageret misisse. cumque Regem egredientem observasset, continuo reversum Alexandro indicasse: qui sine mora Regem adiens, diu cum eo propè stabula collocutus, ut Rex equum conscendit, ad ipsum est reversus, equosq; adduci imperans, rogavit ut si suum fratrisque honorem in discrimen venire nollet, recta Perthum ad fratrem, quanta posset expeditione contendens, eum certiorem faceret, Regem seq; illic brevi adfuturos, nec comitatum magnum Regem adducturum: Andreae interroganti an statim esset discedendum, equum conscendere & sequi se, nec prius abire, quam Regem sit alloquutus, jussisse: quo ad muri saltuarii rapturam facto, ad eum regressum, ut pergeret mandasse. Perthum ubi ventum esset, maxima usus celeritate, Comitem circa decimam in conclavi suo reperit, qui relictis quibuscum loquebatur, Andream accedens, an ad se literas à fratre haberet petiit, quod cum negasset, quaq; in mandatis habebat, exposuisset, à Comite in conclave deductus, rogatus quomodo Rex erga fratrem sese gessisset: optimè ait, nã & manum fratris imposuit humero. Postea de numero comitatus Regii interrogatus: non observasse se dicebat, nisi quod satellitium solenne, & praeterea Anglos nonnullos adesse vidisset. roganti quos primores animadvertisset: prater Lenoxiae ducem neminem respondit. post horam sibi domo sua reverso à Comite mandatum, ut Loricam & alia quae haberet arma indueret, quippe mõtanum quendam (sic enim Borealis Scotiae incolas, quod montana sit ut plurimum ea pars, vulgari idiomate appellant) sibi apprehendendũ. Cui sine mora Andreas obtemperavit: cumq; jam hora duodecima ad prandium se domum conferret, à dispensatore revocatum ut quia Georgius Cragingelt valetudinarius esset, archit riclini vice eo die fungeretur, tandemque dimidia post duodecimam, ut primum missum adferret, Comitem mandasse. Alexandrum Gulielmo Blair comitatum, aulam ad fratrem ingressum, adhaec meminisse se dicebat, Andream Ruthuenum paulo ante Alexandrum venisse, & Comiti privatim in mensa quidpiam in aurem dixisse, quid vero istud fuerit, nescire se. Cum primum Alexander aulam introiret, Comitem reliquosq; omnes, mensas deseruisse, Unde Andreas, strepitu audito, servum, qui galeam, & chirothecam ferream adferret, ablegavit: verum cum Comitem non plateam, sed isthmum versus contendere videret, chirotheca in promptuarium iniecta, & galea domum remissa, eum ad isthmum est secutus: jam vero cum reliquis reversum ab Alexandro ad Magistrum Gulielmum Rynd, ut ab eo clavem porticus reciperet, missum: quo facto, Comitem è vestigio fratrem subsequutum, unaq; loquutum, regressumq; per Thomam Cranstonum ad se accersi curavisse. postea Andreae in porticum ad fratrem misso mandasse, ut fratri in

quibus-

quibuscunq; vellet obsequeretur: hinc Alexandrum Andreæ roganti, quid faciendum sibi esset, respondisse: huc inquit, tibi erit ingrediendum, & in reditum meum subsistendum, nam & clavem mecum sumam: ita se conclavi inclusisse, non multò post Alexandrum una cum Rege ad conclave illud rediisse, ostioq; reserato, primo statim ingressu, tecto capite, pugionem evaginasse, Regisq; pectori minatum, cædis paternæ mẽtione prius facta, præsentem mortem intentasse, cumque jam de feriendo cogitaret, se pugionem Alexandro extorsisse: adhibito juramento affirmans, eum ipso momento, capulo tenus in Regis pectus fuisse abditurum, sed pugione spoliatum, & miti Regis oratione nonnihil mitigatum, dixisse, diris se devovens si Rex taciturnitatem præstaret, & quæ ab eo frater esset petiturus, concederet, salvum illũ & incolumem futurũ. Regi quænam essent petituri, sciscitanti, fratrem se adducturum respondisse: ita egressum, utrumq; Musæo inclusisse: cum Rex prius sanctè spopondisset se nec clamorem editurum, nec fenestram ullam aperturum. Regi de se quisnam esset quærenti, famulũ Comitis dixisse: petenti an Comes mortem suam esset machinatus, respondisse, ita Deus mihi sit propitius, ego prius moriar: quumq; fenestram aperiret Alexandrum reversum Regi dixisse, nihil inquit video remedii, per Deum tibi est moriendũ, simulq; periscelide, quam manu tenebat, Regem ligare conatum, seq; Alexandro illam eripuisse: deinde Alexandrum alteram manum Regis ori ad sermonem impediendum immisisse, altero brachio Regis cervici implicato, postea se Alexandri manum Regis ori extraxisse, unaq; fenestram aperuisse, per quam ut Rex clamorem edidit, servum accurisse, seque aditum illi celeriter, reclusis foribus, patefecisse, per quas Iohannes Ramisæus post sit ingressus, seq; ibi substitisse, donec Alexandro à Iohanne Ramisæo plagã inflictam vidisset, & postea se clanculum per cochleam domum contulisse, uxoriq; de tumultu interroganti dixisse, Regem jam bis confossum fuisse, nisi ab ipso fuisset liberatus.

Sic subscribitur Andreas Hendersonus mea manu.

Præterea, Andreas Hendersonus fatetur, se post reditum Falclandia, quinto Augusti, Iohanni Moncreiff undenam veniret interroganti, respondisse, de ulteriori Ermiæ ripa: seq; propterea ita respondisse, quod Comes ante vetuisset, ne quisquam de profectione Falclandiam resciseeret. Comitem illi mandasse ut fratris ad se responsum referret, Andrea Ruthueno, qui fratrem observaret, relicto.

Sic subscribitur Andreas Hendersonus mea manu.

Adhac Andreas Hendersonus affirmat, cum jam Alexandri manum Regis ori exemisset, fenestramq; aperiret, Alexandrum dixisse, non me adiuvas? malè tibi sit: tu es enim nobis omnibus hodie mortis causam præbiturus

Sic subscribitur Andreas Hendersonus mea manu.